

No. 148. 1379. 16. Oct.

B. Friedrich zu Merseburg verleiht der Capelle S. Michaelis et Mariae Magdalenae bei dem Thomaskloster, in welcher er drei Altäre jüngst geweiht hat, einen ausgedehnten Ablass.

Universis sanctae matris ecclesiae fidelibus et orthodoxis catholicae matris filiis ad quos praesentes litterae pervenerint Fredericus episcopus Merseburgensis salutem in domino sempiternam. Splendor paterni luminis etc. Cupientes igitur ut capella sancti Michaelis archangeli et beatae Mariae Magdalenae sita a dextris et contigua monasterii sancti Thomae canonicorum regularium ordinis sancti Augustini in Lypezk nostrae Merseburgensis diocesis et altaria inibi consistentia nuper per nos consecrata, quorum primum situm inferius in honore beatae Mariae virginis ac sanctae Mariae Magdalenae, sanctae Marthae et beatarum virginum et martyrum Dorotheae Barbarae et Cristinae sanctique Johannis apostoli et evangelistae ac beatorum Cristofori Ciriaci Gangolfi et Valentini martyrum, titulus vero sanctae Mariae Magdalenae annotatur, secundum autem similiter situm inferius in honore beati Michaelis archangeli, cui etiam titulus ipsius annotatur, et sanctorum Jacobi et Bartholomaei apostolorum ac decem milium militum et Georgii martyrum, Erasmi et Livini episcoporum et martyrum, Sygismundi regis et martyris, Elogii episcopi et confessoris, Egidii confessoris et sanctae Rodegundis virginis, tertium vero altare situm superius in honore sancti Augustini episcopi et confessoris, cui titulus ipsius annotatur, sanctae Monicae matris ipsius beati Jeronimi et sancti Yvonis confessorum ac sanctarum Appoloniae virginis et martyris, Otiliae virginis per nos sunt dedicata, in quibus etiam praedictorum sanctorum reliquiae continentur inclusae, congruis honoribus frequententur et a Christifidelibus iugiter venerentur, omnibus vere poenitentibus contritis et confessis, qui devotionis studio pro suorum impetranda delictorum venia in singulis praescriptorum capellae et altarium patronorum seu quorum in eis continentur reliquiae et creduntur inclusae necnon subscriptis festivitatibus videlicet nativitatis epiphaniae coenae paraseeves paschae et ascensionis domini, penthecostes trinitatis corporis Christi, inventionis et exaltationis sanctae crucis, nativitatis et decollationis beati Johannis baptistae, beatorum Petri et Pauli ac quorumlibet aliorum et evangelistarum, sanctorum Laurentii Sebastiani Vincentii Mauritii et Dyonisii sociorumque eorundem martyrum, Nicolai Martini Gregorii Ambrosii et Siluestri confessorum, Katherinae Caeciliae Agnetis Agathae virginum et Elyzabeth electae omniumque sanctorum, et animarum ac dedicationis et capellae et altarium praedictorum festivitatibus, singulis quoque diebus dominicis orationis devotionis seu peregrinationis causa accesserint seu visiterint aut missas praedicationes sive alia divinorum officia inibi devote audierint, sive qui pro decore domus dei et altarium ornatu cultuque divino calices libros palas et ornamenta alia pro suarum animarum salute donaverint, aut in extremis legaverint ad huiusmodi aurum vel argentum vel legari procuraverint, quando et quotiens praemissa seu aliquod praemissorum devote adimpleverint quadraginta dierum indulgentias iniunctae ipsis poenitentiae de omnipotentis dei misericordia ac beatorum Petri